



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1643**

Precatio pro felici certaq[ue]; prædestinatione & electione ad gloriam  
æternam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)



## P R E C A T I O

*Pro felicitateque Prædestinatione,  
& electione ad gloriam  
æternam.*

Ex disp. de Prædestinat. sect. 7.

**E**xaltabo te Deus meus Rex  
& benedicam nomini tuo  
in sæculum, & in sæculum  
sæculi Per singulos dies be-  
nedicam tibi, & laudabo nomen  
tuum in sæculum, & in sæculum  
sæculi; quia ab æterno dilexisti  
nos, & præparasti nobis regnū tuū  
& consortium glorię tuę Elegisti  
nos in Filio ante mundi constitu-  
tionem, & in adoptionem filiorum  
per ipsius merita prædestinasti, vt  
simus sancti & immaculati in con-  
spectu tuo in charitate, & paratam  
nobis hereditatem assequamur. Et  
sicut ab æterno nos præscisti, & præ-  
ordinasti vt simus conformes ima-  
ginis Filij tui; ita in tempore voca-  
sti, &



sti. & vocationem tuam secutos iu-  
stificasti (communicato nobis Spi-  
ritu tuo, pignore hereditatis nostrę)  
& iustificatos glorificabis, si tamen  
in iustitia permanferimus, si imagini  
Filij tui conformes nos compati-  
endo præstiterimus. Ita enim demũ  
nos prædestinasti vt ei simus con-  
formes in gloria, si fuerimus ei con-  
formes in patientia. Hanc condi-  
tionem meritò à nobis requiris, vt  
membra non dissentiant à capite:  
vt sicut Dominus noster à iustitia &  
Patris obedientia, propter passio-  
nes & tormenta, non recessit; ita nec  
nos, ob huius vitæ afflictiones, ab  
eius obedientia recedamus, sed om-  
nia fortiter ad exemplũ ipsius per-  
feramus: considerantes, quòd non  
sunt condignę passiones huius tem-  
poris ad futuram gloriam quæ re-  
uelabitur in nobis. Meretur res tã-  
ta omnem sollicitudinem in exe-  
quendis mandatis, omnem tole-  
rantiam



rantiam in sustinendis aduersis, omnem constantiam in retinendo iustitiæ statu. Cogitasti de nobis cogitationes pacis, & non afflictionis; cogitationes salutis, & non interitus; vt nos vitæ æternæ & omnium bonorum tuorum consortes efficeres. Non occultis decretis salutis nostræ præiudicasti, neque gratijs incongruis selectis ei veluti insidiaris; sed seriuò, non in speciem eam desideras, & procuras. Si enim cum adhuc inimici essemus, Filium pro nobis morti voluisti, & per eius merita nos tibi in filios adoptasti, quanta sinceritate iam ages nobiscum, quando iam filij sumus effecti, & Spiritu tuo viuificati, vt paratam hereditatem adipisci possimus? Vel hoc vnum abundè sufficiat in signum sincerissimi amoris, ad omnem sinistram imaginationem ac suspicionem depellendam.

Iussisti



Iussisti nos esse securos ex parte  
tua, præparato nobis auxilio, quo  
certissimè iustitiam retinebimus  
& salui erimus, nisi per nos stete-  
rit, nisi auxilium oblatum neglexe-  
rimus, & tuæ nos gratiæ subtraxeri-  
mus. Posuisti omnia in arbitrio no-  
stro, perinde ac si solis naturæ viri-  
bus regnum obtinendum esset. Iu-  
stificati enim, per gratiam tuam  
non minùs facilè in iustitia accepta  
perseuerare & legem diuinam im-  
plere possunt, quam hominibus po-  
liticis per naturam facilè est iusti-  
tiam politicam externamque in se  
tueri, & legem ciuilem implere.  
Nemini hoc incredibile aut mirum  
videatur. Non enim duro nos iu-  
go, & graui onere premi voluisti,  
sed suauis & facili, vt mandatorum  
tuorum viam currere possemus  
alacres. Postulat iustitia politica,  
vt Magistratibus per omnia ciuis  
obtemperet, & opere externo ne-  
minem



minem lædat; non blasphemet, non peieret, non occidat, non percutiat, non maledicat, non conuictetur, nō mœchetur, non furtum committat, non pacta violet, nō vectigalia fraudet, in cōtractibus neminem circūueniat, non inebriet. Hæc omnia iustitia politica complectitur. Non parū est difficultatis, vt hæc omnia per naturam præstentur. Quotus enim quisque est infidelium, vel eorum qui iustitiæ Christianæ sunt expertes, qui ista omnia præstiterit? At innumerabiles sunt qui per gratiam tuam, vniuersam legem ita seruant, vt non solūm à prauo opere exterius abstineant, sed etiam mentem à prauo affectu interius puram præstent, & in iustitiæ totius amore cultuque perpetuò retineant. Collocasti itaq; & perseuerantiam & prædestinationis complementum & totam salutem nostram in arbitrio nostro, vt si veli-

mus,



mus, salui simus; & si velimus, pe-  
reamus. Apposuisti nobis vitam &  
mortem, vt ad vtrum libuerit, ma-  
num extendamus. Exigis à nobis  
conditionem iustissimam, à qua  
omnia pendere voluisti, & ipsam  
ab arbitrio nostro: nimirum vt do-  
num iustitiæ, nullis nostris meritis  
nobis collatum, conseruemus. Quæ  
sanè conditio nobis per gratiam  
tuam facilis est, eamque omninò  
præstabimus, si protectionem & o-  
pem gratiæ tuæ assiduè imploraue-  
rimus; eique, vt par est, & sicut pos-  
sumus & debemus, fuerimus cœo-  
perati.

Si ergo perierimus, non tuis de-  
cretis, non auxiliorum inopiæ, non  
incongruis gratijs, sed nostræ fo-  
cordiæ assignare debemus. Omni-  
bus enim fidelibus, & maximè iu-  
stificatis, auxilium tuum, quod ad  
orationem est necessarium, semper  
adest per fidei & spei donum; sicq;  
omni



omni tempore ad te per orationem  
 confugere possunt. Huius autem  
 interuentu in omni eventu auxiliū  
 necessarium & sufficiens ad cetera  
 omnia, ad vincendas tentationes,  
 ad implenda mandata, & ad perse-  
 uerandum in iustitia certissimè ob-  
 tinebunt. quo auxilio obtento so-  
 lum superest, vt illo vtantur, eique  
 sicut par est, & facilè possunt, coo-  
 perentur. *Iugum enim tuum suauis est,*  
*& onus leue:* & quæ per se carni  
 molesta sunt & difficilia, per gra-  
 tiam tuam suauia sunt & expedi-  
 ta. Nihil ergo ex parte tua nobis  
 deest, nihil est cur firmissimam &  
 certissimam spem in tuo auxilio  
 collocare non debeamus: tota du-  
 bitatio, & euentus ambiguitas est  
 ex parte nostra. Longè felicior est  
 conditio nostra, quàm si (vt inimi-  
 ci gratiæ tuæ volebant) naturæ  
 viribus omnia præstari possent, &  
 hisce solis relictæ essemus. Nunc



enim non solum nostra industria, sed etiam tua singularis prouidentia in salutem nostram excubat. Hęc torpentes excitat, iacentes erigit, labantes retinet, languentes corroborat, deficientes animat, & mille modis ad salutem dirigit ac impellit. Denique tantum præbet vel offert auxiliij, vt omnia sint faciliora & magis expedita per gratiam, quàm illi hæretici ea volebant esse per naturam.

Si ergo certò salui esse volumus, si nostram electionem ratam certamque efficere, Primò semper in preces piasque cogitationes simus intenti, assiduè Dominum deprecantes, vt sua nos prouidentia custodiat, & ita regat sicut nouit expedire nostræ salutis. Fieri nequit, vt qui hoc continuò flagitat, non saluberrimè ab ipso dirigatur. Hoc est quod maximè nos vult petere, hoc sæpiùs promisit se petenti-

M bus



bus daturum. Et ego, inquit, dico vobis, petite & dabitur vobis, quaerite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quaerit inuenit, & pulsanti aperietur. Ecce quoties idem ingeminat, vt nullo modo dubitemus nos obtenturos. Deinde semper sumus solliciti, ne vnquam diuinæ gratiæ desimus, ne eam in vacuum recipiamus, socordia nostra ei non cooperantes. Parum nobis proderunt diuinæ inspirationes & auxilia gratiæ, si ad alia conuersi, sinamus illa effluere; si semen illud caeleste vel à volucribus cæli permittamus absumi, vel à spinis suffocari. Excitādus animus, vt attentè consideret quid Deus à nobis requirat, ad quid inuitet, quid interiorius consilij inspiret. Hoc, abruptis omnibus sæculi vinculis, amplectamur, hoc persequamur, hoc firmiter vsque in finem teneamus.



Ita semper simus comparati & in-  
tenti, ac si quotidie suprema nobis  
instaret hora, & in omnibus eliga-  
mus & faciamus quod illo tempo-  
ris articulo nos volemus fecisse.  
Hæc si præstiterimus, sicut verè  
possumus, & rei magnitudo mere-  
tur, certissimè salui erimus; &  
prædestinationem nostram diuina  
benignitate inchoatam, diuinę gra-  
tiæ auxilio complebimus. Immensa  
planè est hæc Dei in nos benigni-  
tas, qua nobis sibi in filios adopta-  
tis, potestatem fecit sui regni, tam  
suauis & potenti prouidentia nos  
gubernans, vt æterna vita & gloria  
sit in manu nostra, & nulla creatu-  
ra salutem nostram impedire pos-  
sit, nisi ipsi velimus. *Certi enim su-  
mus, quia neque mors, neque vita, ne-  
que Angeli, neque principatus, neque  
virtutes, neque instantia, neque futura,  
neque fortitudo, neque altitudo, neque  
profundū, neque creatura alia poterit*



nos separare à charitate Dei, qua est in  
Christo IESV Domino nostro.

Tibi sæculorum Regi immor-  
tali & inuisibili, tibi misericordia-  
rum Patri, Conditori, Redempto-  
ri, & Saluatori nostro, tibi om-  
nium bonorum nostrorum aucto-  
ri, honor & gloria, & benedictio,  
& gratiarum actio ab omni creatu-  
ra, in omnes generationes sæculi  
sæculorum. Amen.

#### CONSIDERATIO XLII.

*De Deo ut est vita nostra.*

**D**EUS generatim *vita* dicitur  
I. tanquam fons omnis vitæ  
nam omnis vita & suprema, & me-  
dia, & infima; Angelorū, hominū,  
animalium & plantarū, ab ipso est  
tanquam quædam illius vitæ fonta-  
lis adumbratio vel participatio, cla-  
rior vel obscurior: & omnis vita in  
ipso eminenter, & ab æterno, &  
sine mensura continetur.

2. Qui